

8724

1767, 18.

S P E C I M E N
C O N T I N E N S
C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M
A N
**A C Q V I S I T A V X O R I S
S I N T M A R I T I.**

Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
S O C I O
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XV. OCTOBR. ANNO C I C I C C L X V I I .
P V B L I C E D E F E N D E T
C A R O L V S A V G V S T V S S C H M I D T
L O E B A V. L V S A T.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

STEGIMEN
CONTINENS
CATIVAS CONVOLVULAS
AN
AGEASITIA AXORIS
SITI MARI
HEAVENLY JOURNAL ORDINIS GRATIA
D CHRISTIANO HENR BRUNING
THEATRUM MUNDI ET CIELESTIA
IN VICTORIA MARTINI
DIE XXII OCTOBER ANNO CCCCCXVII
GALOREAS AVGVSTA EDITION
PRAEFACTA



AN
ACQVISITA UXORIS
FIANT MARITI?



§. I.


restitutum, quod inter coniuges intercedit
vinculum, eiusque iura, diuersis gentium legi-
bus determinata, variis quaestzionibus variis-
que litibus causam dederunt. Maxime vero
vnam tantum causam tractabimus, quae *a coniuge acquisita*
concernunt, cuius sint, *an mariti, an vxoris?* Rem vero di-
stinctius tractabimus.

§. II.

Antiquissimo Romanorum iure vix quidquam dubii
erit. Cum enim eo iure conuentione in manum mariti

A 2

eius



eius quasi filiae familias efficerentur, eae vero nihil proprii haberent, sed quidquid acquirerent, patri acquirerent, sequebatur, omnia quaecunque acquirebantur a coniuge, ipsi marito acquisita fuisse.

§. III.

At subsequenti tempore haec immittabantur iura. Nam cum cessaret ipsa in manum conuentio, haec antiqua iuris regula, quam diximus, amplius applicabilis non erat. Sed tunc videndum, an ex dote, ex receptiis, an aliunde, an ex bonis mariti acquisitione facta, anque probari possit acquisitionis causa, nec ne. Haec inter se accurate separanda.

§. IV.

Prima causa est, si ex dote vxor acquirat constante matrimonio, aut fructus sunt dotis, aut accessiones. Si dotis fructus sunt, in regula, cum dos detur ad ferenda onera matrimonii marito, hicque suos facit fructus, teste P A V L O in L. 7. π. de iur. dot. nisi interuenierit pactum, cuius meminit V L P I A N V S in L. 4. in f. π. de pacf. dot. quo vxor onera ferre promittit: tunc enim fructus dotis non maritus, sed ipsa vxor acquirit: quod et concludi potest ex P A V L I in L. 56. §. 1. π. de iur. dot. regula generali: *ibi dos esse debet. i. e. emolumenta dotis, vbi onera matrimonii sunt.* At vero, si ex rebus dotalibus accessiones fiunt, dubium non est, acquiri simul vxori, non marito solum. Hoc vero ita intelligendum: Quousque maritus dotem habet, fit illa accessio dotis incrementum, sive eo iure habet, quo habet dotem; at vero, soluto matrimonio, haec accessio cum ipsa dote restituenda, et ita vxori acquiritur, dum accessio sit incrementum dotis. Ita P A V L V S in L. 4. π. de iur. dot. *Si proprietati nudae in dotem datae vesusfructus accesserit, incrementum videtur dotis, non alia dos, quemadmodum si quid alluvione accessisset.*

§. V.

§. V.

De acquistis ex receptitiis seu paraphernis facillima est decisio. Nam a quo tempore mulieres non amplius in manum mariti conueniebant, marito in bona suae coniugis, praeter ea, quae in dotem dederat, ius aliquod esse non poterat. Si ergo tum sui iuris esset, propriaque bona praeterque ea, quae in dotem dederat, quaeque sibi receperat, possideret, nunquam in ea bona ius marito competere poterat. Non enim hic parapherna a receptitiis distinguo, ut distinguere solet forum. Nam confusa Romana patriaque iura errorem pepererunt. Constitutione enim THEODOSII atque VALENTINIANI AA. expresse ius marito negatum est in his rebus, quae *extra dotem* mulier habet. Non possunt ergo differre parapherna a receptitiis, quae diuersa lingua idem significant. Sicuti ergo vxori ius erat de suis disponere paraphernis, poterat vxor marito vsumfructum concedere atque administrationem. Si itaque tunc fructus perceperit maritus ex paraphernis his, hos suos facit maritus, quamvis paraphernarum dominus non fiat, at si accessiones factae sint paraphernis, vxoris praeterquam fructus manere, nulla est dubitatio. Ita coniicitur ex L. II. C. de pacis conuent.

§. VI.

Iam vero, cum teste MODESTINO in L. I. π. de Rit. Nupt. Nuptiae sint coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae: diuini et humani iuris communicatio: et teste PAVLO in L. I. π. de Aet. Rer. amot. Societas vitae quodammodo dominam facit vxorem rerum mariti, contingere facile potest, vt per res mariti aliquid acquirat vxor. Sed eo minus dubitandum est, haec acquisita vxoris non esse, quo certius est, rerum dominium ad ipsum maritum pertinere. Neque obstat, quod quodammodo domina dicatur: hoc enim nihil amplius indicatur, quam ius, quod vxor habet, alimenta capiens.




di ex bonis mariti, et forsan PAVLVS ius antiquum tunc in animo habebat, cum ea scriberet. Eo enim cum Sacrorum mariti domesticorum particeps facta, iis vero sacra alligata, recte quodammodo domina dici poterat.

§. VII.

Tandem ad eam speciem veniamus, si aliunde vxor quid honeste adquirat, vel quod artem calleat, per quam acquirat, vel si acquisitio veniat ex aliorum liberalitate, sive fiat inter viuos, sive ultima voluntate, quod v. c. alias cuiusdam heres sit, vel legatum ex tertii testamento capiat, vel mortis causa donatione quid obtineat, cuiusnam haec acquisita sint. Et verius videtur, nisi conuentio alia adsit, haec omnia vxori cedere. Deest enim marito titulus, per quem sibi habeat acquisita vxoris. Cum enim iure Iustinianeo non amplius vxor filia familias, necessario sequitur, cessare in omnibus acquisitionibus vxoris mariti ius, praeterquam ex dote. At vero necesse est, si de acquisitis ab vxore lis oriatur, vxor probet, unde, vel quomodo quae causa acquisierit quid vxor. Quodsi enim probari nequeat vel ex paraphernis, vel aliunde honesta ratione acquisitum quid esse ab vxore, ex autoritate Quinti Mucii POMPONIVS in L. 51. π. de donat. inter vir. et vxor. ex mariti bonis acquisitum esse arbitratur his verbis: *Quintus Mucius ait: Cum in controuersiam venit, unde ad mulierem quid peruerterit: et verius et honestius est; quod non demonstratur, unde habeat; existimari a viro, aut qui in potestate eius esset, ad eam peruenisse. euitandi autem turpis quaestus gracia circa uxorem hoc videtur Quintus Mucius probassē.*

§. VIII.

Mitto Romana iura, iam ad patria germanicaque iura veniamus. Non utar MEVIO ad Ius Lubec. P. II. Tit. II. art. XII. quippe qui Romana, Germanica, statutariaque commisicuit iura, potius generaliter causam tractabo. Quodsi enim



enim patria iura tacent, romanis demum vitimur in subsidium. Hinc si non probari possit a coniuge, quo titulo, qua causa quid acquisuerit vxor, non dubitamus, in subsidium POMPONII quoque ex MECIO autoritatem apud nos valitaram. Ceterum distinguendum in iure patro censeo in proposita quaestione: Vtrum communio omnium bonorum inter coniuges existat, an tantum acquiescus communio, an vero demum neutra et magis coniuges habeant separata bona. De singulis, quid sentendum breuiter adhuc dicamus, vt patitur libelli breuitas.

§. IX.

Aut existit inter coniuges *bonorum communio uniuersalis* sive sit ex statuto, sive ex pacto nuptiali, facile patet, nostram quaestionem inanem esse. Cum enim ea sit vniuersalis communionis natura, vt non ipsa bona tantum communia sint, verum etiam quaecunque a quouis socio quoecunque modo acquiruntur, communia esse; sequitur acquisita vxoris, quoecunque honesto modo et vnde cunquaque acquirantur, communia fieri maritō atque coniugi.

§. X.

Aut est inter coniuges *bonorum communio particularis*. Haec variis modis potest statui. Vel enim comprehendit genus quoddam bonorum vtrorumque coniugum, v. g. immobilia. In hac communionis specie nulla difficultas existit, quippe ea tantum communia fiunt, quae ex his communibus acquiruntur bonis, in reliquis acquisitis videndum, an lege, statuto aut pacto, quid dispositum; ni adsit dispositio aliqua, res ex communi iure decidenda est. Caeterum caue, ne ad causas successionum referas. Nos tantum de ea diximus quaestione, quid iuris sit in acquisitis uxoris constante matrimonio.

§. XI.



§. XI.

Vel comprehendit illa communio bonorum particularis *acquaestum*. Et videndum denuo est, quid sub acquaestu intelligent leges, aut statuta, aut coniugum pacta. Si enim sub acquaestu ea tantum intelliguntur, quae per vtrorumque coniugum bona acquiruntur, haec tantum quoque communia sunt, non vero ipsa bona. Quae vero vxor sua arte vel ex haereditate aliqua ipsi obueniente, vel alia liberalitate honesta, vel fortunae beneficio acquirit, propria manere coniugis, nec ad maritum pertinere, natura ipsius aquaestus nos docet. Neque obstat Ius Prou. Saxonum *Lib. I. Art. XXXI.* quod expresse affirmat: *Mann und Weib haben nicht gezweyet Gut.* cum quo conspirat Ius Prou. Suev. *Cap. XLVI.* Intelligentium enim tantum de ipsis bonis, quatenus et maritus coniugis bona tueri defendere debet, imo effectus separatorum bonorum pendente coniugio vix se exerunt, quo ipso tamen cuius coniugi suarum rerum proprietas non negatur. Si vero sub acquaestu etiam ea, quae labore et arte parantur, intelligentur, haec communia fieri, per se patet.

§. XII.

Tandem si nec communio aquaestus existat inter coniuges, res vtique decidenda erit ex ciuilis iuris regulis. In subsidium enim receptum valet ius Romanum.

T A N T V M.




ULB Halle
003 719 014

3



1078





87

8

Farbkarte #13**B.I.G.**

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



IMEN

INENS

ONTROVERSVM

N

A UXORIS
CARITI.

OD

ORDINIS GRATIA

S I D E

HENR. BREVNING

F GENT. PUBLIC. ORDIN.

TER. DVISBVRG.

IO

O PETRINO

NO CICICCC LXVII.

DEFENDET

STVS SCHMIDT

LVSAT.

IAE

ANGENHEMIA.

1767. 18.